

notabimus quam nostram de *Wichmanni* genere sententiam proposuerimus. Occurrit quidem in *Annalista Saxone* 22) ad a. 1036. *Wigmannus Comes de Seburch*, cui Marchionis *Ottonis Suinfurtensis* filia *Gisla* 23) matrimonio fuit coniuncta: sed hunc esse eundem cum nostro *Wichmanno* nec temporis fert ratio, nec parentum discrepantia permittit: *Annalista* enim *Wichmanno* suo assignat patrem *Christinum Comitem*, noster autem patre *vsus est Bernone Comite* 24). Non abs re erit, hic schema genealogicum ex iis, quae *Annalista* de genere istius *Wichmanni* profert, confidere:

N. N.	
<i>Christinus Com.</i>	<i>Gebbardus de Querfurt.</i>
<i>Wigmannus C. de Seburch.</i>	<i>Wilhelmus C. de</i>
<i>vx. Gisla, Ottos. Suinf. filia.</i>	<i>Lutisburch.</i>
<i>Gero Com.</i>	<i>Hathwiga, Abbatissa</i>
<i>Wichmannus</i>	<i>de Gernrode.</i>
<i>Aepisc. Magdeb.</i>	

Geronis hic memorati vxorem prodit *appendix Chronici Montis fereni* 25), fuit nimirum filia *Thimonis Com. Wettensis* atque *Idae Nordheimensis*, soror *Conradi M. Misniae Marchionis*. *Gerone* mortuo secundis nuptiis iuncta fuit cuidam *Comiti de Bavaria*, nomine *Ludouico*. Ut altius hac in genealogia progredi possimus, in subsidium vocandus est *Chronographus Saxo* 26), qui ad a. 1011. *S. Brunonis* genealogiam sistit hoc modo:

E 2

Bruno

22) ap. Eccard. Corp. med. aev. I. c.

23) immo potius *Gislae* sororem *Bertham* *Wichmanno* fuisse nuptam rationibus haud siculneis euicit Lenz. in Hist. diplom. Magdeb. p. 132.

24) vi diplomatis Kaltenb. d. a. 1120. ap. Schoettg. et Kreylig. Tom. II. pag. 691.

25) ap. Hoffmann. in S. R. Lusat. Tom. IV. p. 105.

26) ap. Leibnitz. in Access. hist. Tom. I. p. 221.